



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Rebus Iaponicis, Indicis, Et Pervanis Epistolæ  
Recentiores**

**Hay, John**

**Antverpiæ, 1605**

Ornatissimo Viro D. Ferdinando De Berevr, Prætori Dolano Equitumq[ue]  
Ductori fortiss.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61204)

113  
ORNATISSIMO

VIRO

D. FERDINANDO

DE BEREVR,

PRÆTORI DOLANO

*Equitumq; Ducitori fortiss.*

**A**VERE te scribis scire quid agam.  
*Quietam, Deo laus, sine omni contentione vitam vivo. Caluini Ministri non amplius mihi negotium faciunt: vires siquidem ipsos, alioquin laudis & honoris cupidos, desunt: quibus si Leguley aliqui parum cauti subsidio non venissent, Calvinianæ sectæ gloria omnino concidisset. Sed bene cecidit, quod misellorum hominum effrenata Societati nostræ nocendi cupiditas omnes eorum mentis partes sic ademerit, ut libellos suos magnis & impudentibus mendaciis resarcire non sint veriti. Ioculare illud de muræna, seu mustela, (de piscis huius, qui Gallis est Lamproye, germano nomine certant Critici) quatuor nummis aureis à quodam Socio nostro (in Vtopia fortassis) emptæ, hominis in mentiando licentiam sic conuincit; ut nemo, nisi à mente inops, sit abhinc ipsi fidem habiturus. Sed quid dicam de illo de-*

Tom. ij.      KK      crepito

crepito sene, (octoginta dicitur annos natus) qui inter  
 subsellia omnem suam trinit et aem? Is legationem  
 Iaponicam ad summum Pontificem Gregorium XIII.  
 toti orbi Christiano testatam, tanquam rem ludicram  
 irridet: immo & Societatis nostra pro religione Chri-  
 stiana apud Iaponios propagatione susceptos labores  
 sic extenuat, ut, quod est apud omnes exploratè cog-  
 nitum & perceptum, in Gargantua patroni sui delira-  
 tionibus reponendum impudenter fingat. Sed homi-  
 nem senili stultitia oppressum relinquamus. Tibi (et  
 certò mihi persuadeo) gratissima erit Iaponica epi-  
 stola, quam ad te Latinam mitto, ut intelligas, nulla  
 quibus disjungimur terrarum intervalla essentant,  
 ut mei erga te amoris interrumpat iter. Si quid aliud  
 haberem quod tibi gratum fore existimarem, nõ gra-  
 uatè ad te mitterem. Sed institutum nostrum probe  
 nosti: quod si nominis nostri hostes cognouissent, se  
 maledictis, quæ in nos aspere & ferociter comiserunt,  
 fortassis abstinuissent. Nolo te pluribus detinere.  
 Valebis ergo in Domino; & si mihi credas, quam es in  
 gressus de patria tua bene merendi viam tenere per-  
 ges. Antuerpia, ex Collegio Societatis IESV, 1618.

Seruus in Christo,

Ioannes Hayus.